



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pvgnā Spiritvalis

Scupoli, Lorenzo

[S.l.], 1599

VD16 S 5184

Cap. I. Quibus in rebus consistat Perfectio Christiana, & quæ ad eam comparandam necessaria sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49116](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49116)



PUGNA SPI-
RITVALIS.

Sive

De perfectione vitæ Chri-
stianæ.

C A P. I.

*Quibus in rebus perfectio Christi-
ana consistat: & de quatuor
ad eam obtinendam ne-
cessarijs.*

Dilecte in Christo *vsus p-*
fili: si tibi curæ ac *fectio-*
cordi est, sublimita- *nis.*
tē Christianæ pfectionis asse-

A qui

qui: ac cum Domino Deo tuo
vniri, unusque cū eo spiritus
effici: (quo sanè nec vtilius, ne-
que præstantius, diuiniusque
ab homine quicquam fieri ex-
cogitarique potest:) scire te an-
te omnia oportet, quibus in
rebus perfecta spiritualis vita
consistat.

*Falsa
persua-
siones
de Per-
fectio-
ne vite
Christi-
ana.*

Sunt enim nonnulli, qui
horum consideratione debita
neglecta, arbitrantur perfe-
ctionem hanc potissimum cō-
sistere in austeritate vitæ, h. e.
carnis castigationibus, vsu ci-
liciorum, ieiunijs, vigilijs, ho-
rumque similibus asperis ex-
citijs afflictionibusque cor-
poris.

Alij

Alij verò, præsertim fœminæ, leuiter sibi persuadent, se in Perfectione ista spirituali plurimum profecisse, si multas quotidie preces recitent, Missas plures audiant, frequenter confiteantur, Sacramque Communionem accipiant.

Sunt & alij non pauci, & inter hos etiam quidam Religiosi, qui Perfectionem hanc arbitrantur consistere in attenta ac deuota celebratiõe diuinorum officiorum, in regularis silentij custodia, vita solitaria, reformata regulari disciplina, & cæteris actionibus omnibus ritè ordinatis: & ali-

us quidem in illo, alius in alio istiusmodi pio exteriori exercitio eam constituit.

Enimverò longè aliter se res habet. Tametsi enim exercitia illa exteriora pia, multū ad istam spiritualem Perfectiōnem iuuent; Non est tamen ea tota in istorum obseruatione constituta. Hoc autē iuuāt ea exercitia, ut iisdem se occupans, facilius obtineat gratiam Spiritus sancti, ad superandā fragilitatem carnis suæ. Sed & muniunt hominem, armaturamque ei præstant a duersus insidias atque incutsum communis infestissimique hostis nostri.

*Vsus
corpore-
ralium
exerci-
tiorum*

nostri. Ac tandem etiam profunt ad multa pietatis opera facilius, feliciusque præstanda; præsertim tyronibus seu Novitijs in hac spirituali palæstra.

Quin etiam iam exercitatis & confirmatis in illa spirituali palæstra, afferunt fructus spiritus multiplices: ita tamen ut ipsi corp^o suum propterea duntaxat affligant, quòd Deum creatorem suum quandoque etiam offendat: & ut illud ad seruitium DEI adsuefaciant. Similiter hi exercitari silent, atque in solitudine viuunt; ut omnem peccandi occasionem deuitent, & absq; mundi hui^o

A 3 im-

6 CAP. I. Pugnae

impedimentis tranquillius, feliciusque vacare possint meditationibus caelestibus. Ad haec deuoti & attenti sunt in diuinis officijs, exercent se frequenter in operibus charitatis, in precibus, & frequenti sacra Communione; non aliam ob causam, quam ob honorem ac gloriam diuinæ Maiestatis, & ut per sanctam charitatem Domino Deo sui vniri valeant.

*Abusus
exerci-
tiorum
corpo-
ralium*

Qui verò in istiusmodi exterioribus exercitijs quiescunt, in ijsque suum finem constituunt; saepe labuntur in graua pericula salutis suae: non quidem propter ipsa exercitia exteriori-

teriora (quæ suaptæ natura bona sunt & plurimorum Sãctorum exemplis commendata:) sed quod duntaxat attenti sint ad ista exteriora exercitia; hominem autem suum Interiorẽ sinant naturalibus suis affectibus indulgere, & diaboli laqueis innecti. Nam vbi malignus ille hostis eos videt in talibus exercitijs à recta via aberrare; non solùm finit eos in iisdem quietè, ac cum iucunditate quadam pergere: sed & habenas eis laxat; vt videantur sibi iamiam velut in delictis Paradisi (quas pro vana sua persuasione leuiter imaginan-

8 CAP. I. Pugna

tur ac fingunt) obambulare, Deumque in seipsis loquētem audire. Vnde & in meditationibus suis tantam quandoque suauitatem, iucunditatemque experiuntur, vt se putent à Mūdo, omnibusque creaturis se- lunctos, & velut extra se in ter- tium vique cœlum raptos.

*Vt de-
prehen-
datur
quorū-
dam in-
epta p-
suasio
Perfe-
ctionis.* Sed quā grauitē hi om- nes semet decipiant, quāque longē à vera Perfectione ab- errent; ex reliqua ipsorum vi- ta haud difficulter potest iudi- cari. Sunt enim vt plurimum homines singulares, curiosi, & in vitam, moresque aliorū oculati cēsores, contraq; eo-
run-

rundem facta. murmurantes
Et cum ipsis aliquid errati ob-
ijcitur: vel à solitis suis exer-
citijs (quæ ex arida potissimum
consuetudine factitant) non-
nihil impediuntur: aut ordi-
naria eis Cõmunio negatur;
confestim videris eos iracun-
dia incensos, inquietos, de-
sperabundos.

Quod si etiam Deus eis nõ-
nunquam immittat infirmita-
tem aut tribulationem quam-
piam: vt aut eorum probet pa-
tientiã, aut propriæ ipsos fra-
gilitatis admoneat: (quæ sunt
omnium aduersitatum causæ
præcipuæ:) mox deprehen-

A 5 dere

10 *CAP. I. Pugnae*

dere licebit, quàm falsò in suis exercitijs corporalibus nitantur fundamento, quàm turbentur animo, quantàque in eis lateat superbia. Nesciunt enim, aut non volunt suam voluntatem, in omnis generis, euentis, prosperis pariter & aduersis, promptè resignare, nec seipso sub potenti manu Dei humiliare: nedum vt ad ipsius exemplum, se omnibus etiam creaturis humiliter subijciant.

Inimici sunt nostri Sed nec inimicos suos vt veros amicos, & diuinæ bonitatis instrumenta, cooperatoresq; salutis ac veræ reformationis,

tionis, mortificationisque ip- *amicò*
forum: amare, colereque vo- *optimè*
lunt. Quod sanè evidens indi-
ciū est, grauiissimi in quo ver-
santur periculi. Corrupti n.
sunt oculi mentis ipsorum, vt
videntes opera sua exteriora
(etiāsi bona) mox nescio quos
perfectionis gradus sibi arro-
gent: indèque in superbiam
lapsi, alios temerè iudicent at-
que despiciant.

Hi profectò valdè difficul-
ter corrigi possunt: nisi Deus
eorum corda fortiter feriat,
mentisque tenebras lumine
suæ claritatis dispellat; vt la-
queos quibus innexi conspi-

cientes, effugiū quærere possint. Verè namque dictum est: facilius converti posse magnū peccatorem manifestum, quā simulatum iustum, qui pallio virtutum latentem iniquitatē cælat.

*Qua in
re con-
sistat
vera p-
fectio.*

Vides ergo, dilecte fili, satis manifestè: Perfectionem spiritualement in prædictis operibus ac persuasionibus nullatenus consistere. Scias autem in nulla re alia eam positā, quā in vera cognitione ineffabilis bonitatis diuinæ: & in nostræ vilitatis, miseræ, nullitatis, affectuumque nostrorum naturalium ad omnem malitiam
pro-

procliuium, vera agnitione:
Itemque in vero odio nostrarum personarum, & contra in vero amore DEI: tandemque in nostræ propriæ voluntatis absoluta abnegatione, eiusdemque in diuini voluntatem resignatione. Scilicet ut homo se totum, nõ solum omnipotenti Deo, sed & propter ipsum, omni etiam creaturæ subijciat: & hoc nullam aliam ob causam, quàm ut faciat quod placitum est coram Deo; cuius Maiestati ut ab omnibus purè seruiatur, omnifque honor, laus & gloria tribuatur, longè dignissimū est.

Hæc

Abne- Hæc est abnegatio illa, quã
gatio Saluator noster Christus sæpi-
sui ipsi us inculcauit. Hæc est illa vera
us. obedientia, ad quam Dei fili-
Matth. us, verbo & exemplo, suos fi-
 10. deles seruos inuitat ac dirigit.
Luc. 14 Hæc est desiderabilis Crux,
 10. 12. quam fideles serui humeris su-
 Phil. 2. is imponere, & sic Christum
 Ioan. 13 Dominum suum sequi debêt.
 15. Hæc illa dilectio, quam Do-
 1. minus noster toti mundo, dis-
 Ioan. 2. cipulisque suis vt amicis & fi-
 lijs; tam frequenter, & præ-
 cipuè post nouissimam Cœnã,
 pedumque lotionem, seriò
 demandauit.

Itaque dilecte fili, si subli-
mita-

mitatem Perfectionis Christianæ volueris assequi; vim tibi facias oportet: & studeas te ipsum in omnibus affectibus tuis, tam leuioribus, quàm grauioribus, semper vincere, animumque tuum ad hanc pugnam diligenter instruere atque armare. Etenim corona huius certaminis nulli datur, nisi legitimè ac strenuè certauerit.

Sicut enim inter omnia certamina Christianæ vitæ, hoc (de quo agimus) omnium maximum ac difficilimum est: ita & victoria ex eo reportata gloriosior, Deoque gratior: tan-
tope-

Mortificationi affectuum studendum.

2. Tim. 2.

toperè, ut si inordinatos tuos affectus, etiam leuissimos, superaueris, cōculcaueris, mortificaueris, excideris; multò gratius obsequium Deo præstiturus sis, quàm si vltro te ipsum vsque ad sanguinem flagelles, vel more antiquorum arctissimè ieiunes, aut multa infidelium vel peccatorū milia, ad fidem Christi, pœnitentiãque conuertas.

Tametsi enim Domin⁹ Deus noster, conuersionem animarum plus amat, quàm propriæ voluntatis tuæ in leuioribus rebus abrenuntiationem; nihilominus hoc te solùm ac
præ-

præcipuè velle agerè que oportet, quod ipse abs te vult fieri.

Dixit autem omnibus: Si quis *Mar. 8.*
vult me sequi, deneger se met-
ipsum: & tollat Crucem suam,
& sequatur me. Absque du-
bio enim plus Deo placebis, si
te ipsum in mortificatione tu-
orum affectuū seridè occupes;
quàm si cū inordinato aliquo
affectu, etiam ingentia, ac quã
ta fieri possunt negotia, præ-
stes.

Intelligis ergo, dilecte fili,
quibus in reb. Perfectio Chri- *Quatu*
stiana consistat: & quod ad e- *or gene*
andem obtinendam te in cō *ra ar-*
tinua ac graui pugna semper *morū,*
vi-

ad spi- rituale pugnã. victorem esse oporteat. Ita- que vt tanquam strenuus mi- les Christianus istud feliciter consequaris, quatuor genera spiritualium armorũ tibi sunt necessaria. Scilicet 1. Diffi- dentia de teipso.
 2. Confidentia in Deo.
 3. Iugis exercitatio.
 4. Deuota oratio. De qui- bus armis, auxiliante Deo, de- inceps ordine, breuiterque trademus.



CAPVT II.

De Diffidentia sui ipsius.

Diffi-